Entomologische Nachrichten.

Begründet von Dr. F. Katter in Putbus.

Herausgegeben

von Dr. Ferd. Karsch in Berlin.

XXIV. Jahrg. April 1898. No. 8.

Studia hemipterologica

auctore Gustavo Breddin, Halensi.

II.[1])

Neostrachia Saunders.

Saunders, Entom. Monthly Mag. XIV (1877—78) p. 103.

Genus *Neostrachiam* a Saunders descriptum auctor ipse cum *Bagrada* comparavit eamque affinitatem cum divisione *Strachiariorum*, quam videre sibi visus est, nomine illo generico significari voluit. Quo factum est, ut in catalogis in *Strachiae* vicinitate enumeretur. Est tamen genus a *Strachiariis* structura capitis et regionis ostiolariae, ventris basi tuberculo armata aliisque multis notis omnino discrepans, at *Menidae*, praesertim divisioni Ståli d (Enum. Hem. V p. 98) valde affine.

Descriptioni genericae nimis brevi ac minus correctae adde:

Forma corporis angusta, lateribus ab humeris usque retrorsum longe parallelis. Caput supra omnino vel fere omnino planum, latum, apice subtruncatum, densissime punctatum, subtiliter lineiformi-marginatum; tylo aequilato, percurrente. Pronoto modice convexo, trapezoideo, antice late et sat profunde sinuato; parte postica pone angulos humerales haud prominentes, subtruncatos, retrorsum rotundato-producta, medio supra scutelli basin aut truncata aut sinuata. Marginibus antero-lateralibus distincte cariniformi-marginatis, margine antico angustissimo, aut depresso, aut parum reflexo, glabro. Disco pronoti toto densissime punctato, excepta macula transversa postcicatricali; margine ipso postico linea punctulorum regulari notato. Cicatricibus lineis laevibus, impunctatis antice et postice circumscriptis, posteri-

[1]) Studia hemipterologica I. Entomologische Nachrichten XXIII 1897 p. 339—342.

oribus paullo distinctioribus, impressionem transversam linearem simulantibus; hac linea extus utrimque impressione triangulari terminata. Orificiis distinctissimis, in rugam sat longam, media pectoris latera superantem, extus evanescentem continuatis. Area evaporativa minuscula at distincta, opaca, extus oblique retrorsum truncata. Ventris segmento secundo basi tuberculo parvo, brevissime conico, nunc magis nunc minus distincto armato. Tibiis supra cylindrico-convexis, utrimque distincte marginatis; pedum, saltem in speciebus adhuc cognitis, magna pars nigra.

A genere *Menida* differt tantum statura corporis multo angustiore, spina ventrali breviore, geniculis, tibiis, tarsis — in speciebus cognitis — nigris.

N. hellenica Saunders.

Specimen unicum meum, quod D. Dr. Puton cum exemplo collectionis suae benigne comparavit, a descriptione differt tibiis posticis omnino nigris. Macularum quoque ventris numerus variat, in meo specimine binae utrimque; maculae illae etiam in compluribus *Menidis* occurrunt. Tuberculus basalis ventris aegre distinguitur.

♂ Segmentum genitale, cum segmentulo vel squama subgenitali, hoc fere a basi usque, perpendicularibus; illius margo apicalis inferior late sinuatus, medio acutangulariter incisus.

1 ♂ ex Acarnania (leg. Dr. Krueper 9. I. 89; coll. mea).

N. Schultheissi n. sp.

Caput supra planum, latitudine intraoculari distincte brevius; oculis leviter transversis. Antennae corporis dimidio fere aequilongae, articulo tertio quarto multo breviore (3:5). Pronoto capite distinctissime longiore, latitudine humerali longitudine mediana minus quam duplo maiore, postice supra scutelli basin truncato; marginibus anterolateralibus cariniformibus, sat latis, rectis, margine antico lineiformi, vix elevato. Scutellum sat gracile, ante apicem medio obsolete carinatum. Dorsum abdominis cum connexivo dense subtiliterque punctatum. Rostrum inter coxas posticas extensum, articulo primo basin capitis haud attingente, articulo secundo tertio vix longiore, hoc et quarto subaequilongis. Prostethium secundum marginem gularem (medio angulato-excisum) ruga distincta intramarginali instructum. Ventre latera versus sat rude punctato et hic illic longitrorsum ruguloso, disco laevi; tuberculo basali segmenti secundi sat brevi at distincto.

Nigra, subaeneo-micans; pronoti marginibus antero-lateralibus angustis supra et infra maculaque laevi postmediana sulculos cicatricales tangente, transversa, scutelli vitta utrimque callosa, submarginali, obliqua, ex angulo basali oriente et circa media scutelli latera evanescente nec non parte apicali impunctata, clavo corioque fere totis, macula impunctata elongata, in medio margine cuiusque segmenti connexivalis supra subtusque posita, rostri articulis secundo et tertio supra, acetabulis, coxis, trochanteribus femorumque maxima parte, annulo medio tibiarum posticarum, margine angusto anguli postici metastethii, marginibus ostiolorum, maculis utrimque sat magnis, subquadratis segmentorum ventralium 2, 3 et 4, fascias duas latas, interruptas formantibus luteo-albis. Abdominis tuberculo basali conico aurantiaco. Femorum omnium fere tertia parte apicali nigra, hoc annulo in femoribus anterioribus intus atque supra subinterrupto. Corio cum clavo nigropunctato, his punctis prope marginem suturalem et iuxta costam principalem in series distinctiores ordinatis, in clavi parte basali interiore in lineas unam vel duas hic illic interruptas, nigras confluentibus; parte corii circiter quarta apicali fascia nigra intus angustata ornata, hac fascia antice inter venam principalem et suturam clavi macula transversa, omnino impunctata terminata. Membrana circa mediam basin late sordide luteo-brunnea, extrorsum et apicem versus sensim dilutescente.

N. hellenicae etiam toto habitu similis, differt statura parum latiore, tuberculo ventrali maiore, coloribus aliisque notis.

Long. 6¼, lat. hum. 3 mm.

1 ♀, e Borneo orientali atque meridionali fertur esse (Coll. Dr. Schultheiss).

* * *

Species multiformes, quas Stål generi *Menidae* adnumeravit, certe affinissimae sunt notisque multis etiam exiguis mirum in modum congruentibus coniunguntur, tamen nonnullae species aliis iterum notis a ceteris singulariter differentes genera propria potius efficere videntur, ac vix mihi persuadeo *Menidas* illas typicas iaponico-mandschuricas, ut *M. violaceam* Motsch., *Scotti* Jak. et *musivam* Jak., quae proprio atque singulari habitu a speciebus tropicis primo intuitu differunt, cum his uni eidem-

que generi esse attribuendas[1]). Longissime tamen ab omnibus, quas quidem viderim, speciebus differre videtur structura ventris marium *Menida varipennis* Westw. cum alia specie maxime affini, nova, quas species typicas generis novi constituo:

Pygomenida n. gen.

Corpore ovali, subglabro, supra subtusque convexo. Capite valde declivo, supra planiusculo, punctato et vittulis quibusdam glabris notato, subtiliter lineiformi-marginato; tylo percurrente. Antennarum articulo primo apicem capitis vix attingente, secundo tertio et iterum apicalibus duobus subaequilongis, his singulis articulo tertio distincte longioribus. Pronoti margine postico supra scutelli basin truncato, angulis posticis rotundato-deletis, eiusque parte ante humeros rotundatos, haud prominentes sita trapezoidea, margine antico late sinuato; hoc margine et lateralibus-anticis calloso-elevatis vel teretiusculis, linea impressa punctata a disco pronoti separatis. Hoc disco punctato, rugulis obsoletioribus transversis intermixtis, margine ipso postico (ut etiam in omnibus quas cognoscam *Menidis*) linea punctulorum regulari notato; cicatricibus glabris linea punctata circumscriptis. Hemelytra clausa abdomine angustiora sed longiora. Rostro ventris basin ipsam attingente, articulo primo caput haud vel vix superante, secundo apicalibus simul sumptis parum breviore, his inter se fere aequilongis. Pectore medio obsolete sulcato, orificiis distinctis in sulcum leongatum, extus angustatum continuatis; area evaporativa opaca, minuscula, extus oblique retrorsum truncata. Abdominis segmento secundo medio antrorsum in spinam compressam, coxas posticas superantem producto; connexivo inermi. Segmento sexto ventrali maris maximo, segmentis 5 basalibus simul sumptis aequilongo, vel longiore; segmento quinto medio quarto fere aequilongo, extrorsum utrimque maxime angustato, lineiformi, tum subito secundum marginem abdominalem in processum longum lobuliformem productis; incisuris etiam reliquis extus plus minusve incurvatis. Segmento genitali parvo, verticali. Tibiis supra cylindrico-convexis, utrimque distincte marginatis.

---

[1]) Unicum tantum specimen unius speciei *M. Scotti* Jak. ex divisione illa typica c (Stål) examinare potui, quod debeo benignitati D. Dris Puton.

Menidis praecipue divisionis bb Stål (Enum. Hem. V p. 98) valde affinis, differt ventre maris segmento sexto maximo, profundissime in segmentum quintum immerso, cuius fere restat nihil nisi squamula semilunata media lobique duo laterales longe producti.

Typus generis *Rhaphigaster varipennis* Westw. (*Menida varipennis* auct.)

P. varipennis Westw.

Occurrit etiam in insulis Sumatra et Celebes.

P. pauper n. sp.

Subanguste-oblonga, lateribus late subparallelis. Capite ante oculos parum profunde sinuato, parte anteriore producta, apice corrotundata. Occipite vittulis glabris et impunctatis tribus, quarum quaeque linea punctorum sat regularium bene circumscripta; intervallis inter vittulas positis ipsis glabris, vitta mediana plus duplo angustioribus. Parte anteoculari capitis sat rude punctata vel ruguloso-punctata, vittulis quinque angustis atque obsolescentibus. Antennarum articulis secundo et tertio, et iterum quinto et quarto subaequilongis, hoc articulo tertio distincte longiore (4 : 3). Pronoti marginibus lateralibus, rectis, et antico, sinuato, intus linea impressa, punctata a disco separatis. Cicatricibus linea punctata subimpressa circumscriptis. Parte postcicatricali dense et sat aequabiliter punctata. Spatio inter cicatrices et lineas intramarginales sito, rugaque angusta, transversa, pone cicatrices sita glabris. Scutello passim punctato, punctura basin et praesertim latera versus densiore atque subtiliore; apice glabro. Tibiis supra cylindrico - convexis, utrimque marginatis. Pectore ventrisque lateribus sat dense rudeque punctatis. Ventris spina basali compressa, inter coxas intermedias extensa. Segmento sexto ventrali maris ut in *Pyg. varipenni* formato, maximo, medio in segmentum quintum profundissime immerso.

Modice nitida, nigra; capitis vittulis octo glabris angustis et subobsoletis, pronoti marginibus antico et antero-lateralibus, horum etiam stria intramarginali, ruga angusta postcicatricali rugulisque nonnullis levibus transversis disci posterioris circa lineam medianam, scutello, clavo corioque fere totis (his punctis subtilibus fasciaque lata obliqua marginis apicalis, intus cum maculis subapicalibus scutelli coniuncta, nigris exceptis), gula, rostri articulis primo et secundo (hoc apice ferruginescente), pedibus, maculis aceta-

bulorum et ventris, his utrimque in lineam macularum 3 vel 4 ordinatis, ventris spina basali, prostethii abdominisque margine exteriore, nec non connexivo sordide griseo-flavescentibus vel lutescentibus, hoc immaculato. Scutelli punctis dispersis, basin versus et medio mox pone basin in maculas obsoletiores confluentibus margineque utrimque exteriore, in maculas singulares subapicales exeunte nigris. Antennis laete ferrugineis. Membrana hyalina. Dorso abdominis confertissime subtilissimeque punctato, nigro.

Species generis mei *Pygomenidae*, *Pyg. varipenni* valde affinis, segmento ventris sexto fere eodem modo formato. Corpore magis elongato, capite praesertim antice magis salebroso, rudius punctato, vittulis glabris obsoletis, pronoti disco densius et aequabiliter punctato, corio griseo-lutescente, apice nigro-fasciato, connexivo immaculato coloreque sordidescente satis distincta videtur esse.

Long. $6\frac{1}{2}$—7 mm.

♂ ♀. Sex specimina colore ceterisque omnino congruentia examinavi. Unum collectionis meae ex insula Lombok (Sapit, 2000 pedes, April, leg. Fruhstorfer) reportatum, alia musei reg. Dresdensis ex Java dicuntur esse.

? *P. consignata* Distant.

Distant, Trans. Entom. Soc. Lond. 1881 p. 215.

Secundum exempla typica haec species *Pygomenidae varipenni* Westw. simillima; vix distinguitur ab hac specie connexivo supra subtusque immaculato et intervallis vittularum occipitis singulis vitta mediana distincte latioribus, dense et confuse punctatis, vittula mediana ipsa paucis punctis interrupta. (Iisdem intervallis in *Pyg. varipenni* angustis, singulis vittulae medianae dimidio vix aequilatis, glabris, linea utrimque unica punctorum fere undique bene ordinatorum inclusis).

2 ♀♀ in mus. Hamburgensi asservantur. Species generi *Pygomenidae* verisimiliter adnumeranda.

? *P. guttipennis* Ellenrieder.

Rhaphigaster guttipennis Ellenrieder [Nat. Tijdschr. Ned. Ind. 24 p. 158 fig. 27 (1862)] ex Sumatra, ubi non raro occurrere dicitur, descriptus vel ad *Pygomenidam* vel ad *Menidam* pertinet, cum *Pygomenida varipenni* Westw., quae in illa insula abundat, capitis, scutelli, corporis inferioris coloribus omnino congruit et forte cum ea coniungenda. Differre videtur tantum coloribus pronoti et forte

etiam corii, qui tamen minus perspicue atque significanter describuntur. Ceterum corium in *Pygomenida varipenni* variat nunc magis nunc minus infuscatum.

Menida Motsch.

M. formosa Westwood.

Vera *Menida* est.

M. nitens Voll. = *formosa* Westw.

Hanc speciem sumatranam a *M. formosa* Westw., quae haud raro in eadem occurrit insula, secundum descriptionem Vollenhoveni distinguere nullo modo possum cum eaque coniungo. Est varietas subaeneo-nitens et forte eadem, quam Stål ipse nomine *Rhaphigastris spectandae* descripsit ex Malacca reportatam [Freg. Eug. Resa Ins. p. 230 (1859)]. Variant enim specimina sumatrana *M. formosae* nunc magis nunc minus viridi-metallescentia, scutelli colore luteo nunc minus nunc magis extenso, saepe maculis basalibus nigris deletis maculam illam, quam Vollenhoven optime dicit „calyciformem" luteam figurante. Corio prope apicem rimulae introrsum macula glabra lutescente, colore fusco plus minus inclusa. Longitudinem *nitentis* auctor indicat aliquantum nimis magnam; an legendum „6 mm" pro „8 mm"?

M. subcastanea n. sp.

Corpus latiuscule ovale. Caput latitudine intraoculari cum uno oculo distincte brevius, cum oculis sat magnis subtriangulare, apice rotundato-obtusato, ante oculos vix sinuatum, supra planum, dense punctatum, vittulis 7 vel 5 glabris ornatum, marginibus ante oculos levissime reflexis. Antennarum articulo secundo tertio distincte breviore (4 : 5), quarto quinto longiore. Pronotum longitudine mediana plus duplo latius, eiusque pars ante humeros rotundatos, haud prominentes sita antrorsum convexo-decliva, trapezoidea, marginibus lateralibus rectis, antico late et sat profunde sinuato, his marginibus linea impressa, punctata a pronoti disco separatis, calloso-elevatis atque teretiusculis, pronoti parte postica supra scutelli basin truncata, angulis posticis rotundato-deletis. Cicatricibus linea subimpressa punctata circumscriptis, cum parte pronoti intra cicatrices et lineas intramarginales sita glabris, parte postcicatricali sat dense et aequabiliter punctata, ante humeros callositatibus obsoletioribus transversis intermixtis. Hemelytris scutelloque dense punctatis, huius apice postfrenali modice lato. Mem-

brana hemelytrorum abdominis apicem distincte superante. Spina basali segmenti ventralis secundi coxas intermedias paullo superante, rostro metastethii apicem attingente. Tibiis supra cylindrico-convexis, utrimque marginatis.

Corpore cum pedibus antennisque luteo vel flavescenti-luteo; corio cum clavo (costa excepta), scutello fere toto, pronoti parte posteriore, pone lineam fictam humeros connectentem sita, punctis lineisque submarginalibus cicatricanbusque pronoti anterioris, capitis superioris maxima parte, punctis impressis sat sparsis capitis inferioris abdominisque iaterum, punctulis pectoris, circa acetabula in maculas distinctius metallescentes confertis, incisuris ventris perangustis maculaque media segmenti abdominalis sexti (saltem in femina) castaneis, nonnunquam metallescentibus. Capitis vittulis septem flavescentibus: quinque anterioribus, duabus posterioribus, his singulis nonnunquam cum vittulis secunda et quarta ordinis anterioris in vittas percurrentes, divergentes confluentibus. Scutelli punctis tribus basalibus margineque apicali, glabris, nonnunquam etiam rugulis obsoletis nonnullis disci eburneis vel albescentibus. Corio prope finem rimulae plicatoriae[1]) macula parva, maculaque adiacente areae costalis minus discreta luteis ornato. Antennarum articulis tertio et quarto apice, quintoque fere toto, interdum etiam linea mediana ventris angusta ferrugineis vel brunnescentibus. Membrana sordide flavescente, angulo interiore fuscescente; dorso abdominis rubro-violaceo, minus dense punctato; connexivo luteo.

Species divisioni bb. Ståli (Enum. Hem. V p. 98) adnumeranda, *M. formosae* Westw. proxima; facile distinguitur

---

[1]) „*Rimulam plicatoriam corii*" dico lineam impressam longitudinalem subtilem, quae plerumque in basi venae principalis oriens primum hanc venam ipsam sulcat, mox autem intus recurvata ab ea nunc minus nunc magis longe discedit et iam longe ante suturam membranae subito evanescit. Usui forte est insecto in elytris deplicandis et complicandis, et invenitur praecipue in iis Heteropterorum familiis, quae duriora atque solidiora exhibent tegmina: *Pentatomidis*, *Coreidis*, *Lygaeidis*, *Pyrrhocoridis*, *Naucoridis* et *Nepidis*, in *Naucoridis* apice extrorsum curvato embolium amplectens. *Reduviidae*, *Phytocoridae*, *Notonectidae*, *Corixidae* rimulam aut nullam aut obsoletissimam exhibent. Corio circa apicem huius rimulae in *Macropeltidis* saepe leviter convexiusculo vel subumbilicato, in multis diversisque speciebus macula typica, laevi, albida notato.